

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput XX. De ecclesia

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

3. *Mensam glorie*, super quam olim cum illo comedemus. Luc. 22. v. 30.

4. Addit mensam hanc Eucharistiæ, in qua ipse suum corpus & sanguinem proposuit, hujus nos hospites fecit: *O Domine, non sumus digni, ut teclum nostrum subeas, nedum ut mensam apud nos instruas! At tamen, quia viscera miserationum tua tanta sunt, fac nos dignos hospites:*


Bone Jesu, pastor vere,

Tu nos pasce, nos tuere,

Tu nos bona fac videre,

In terra viventium! AMEN. Claudimus

voto ecclesiæ priscæ.



CAPUT XX.

DE

ECCLESIA.

ARTICULUS I.

DE VARIIS NOMINIBUS.

ECCLESIA EST ARCA NOÆ.

1431. 1. *Ob animalium ab interitu præservationem:* Animalia in arca servabantur: Ita omnes, qui in Ecclesia sunt, servantur. Extra eam nemo.

2. *Specierum universalitatem:* Ita ex omni genere hominum Ecclesiam ingrediuntur; Non est Judæus, neque Græcus, non est mas neque foemina, Gal. 3, 28. Act. 10. v. 35.

Tt 2

Ete-

3. *Elevationem arca.* Ita Ecclesia aquis tribulationis elevatur ad Deum, cui magis propinqua fit, ad celebritatem, cum malo pressa, nobilis fit.

4. *Agitationem; ut arca variè agitata fuit:* Ita Ecclesia agitatur variis calamitatibus, Joh. 16. *In mundo habebitis pressuram.* 2. Cor. 6. v. 4. seq.

5. *Motus cessationem:* Quievit arca in monte Ararat; Ecclesiæ quies in monte sancto cœli, Psal. 3. v. 5. Ps. 15. v. 1. Ps. 24. v. 3. Ps. 112. v. 1. Esa. 57. v. 13. Pertinent & huc alia, quæ strictim.

6. *Fundamentum non habebat in terra:* ita nec Ecclesia in terra fundata, sed in petra Christo, qui in cœlis, Coloss. 3. v. 1. l. c. cœlestia quærenda.

7. *Aqua eam cingentes sunt crux, tentatio.*

8. *Varia conclavia notant:*

1. Varietatem donorum.

2. Membrorum.

3. Statuum varietatem.

9. *Artifices notant concionatores reprobos.*

10. *Cibus, Gen. 6. v. 21. Verbum & sacramenta.*

11. *Salvatorum paucitas notat Ecclesiæ vilitatem.*

12. *Fenestra Christum significat: sic & janua.*

13. *In tenebris.* Noa fuit in arca, nisi quod per fenestram lux affulsit: ita sedemus in hujus vitæ tenebris, Mich. 7. v. 8. Ps. 27. v. 1.

14. *In sola arca manentes salvati:* sic nemo extra Ecclesiam.

15. *Pix notat Christi sanguinem.*

16. *Oblitio, pice significat scandalorum præcautionem.*

17. *Paria animalium notant ordinem servandum in Ecclesia.*

EC-

ECCLESIA EST ÆDIFICIUM.

1432. *Ut ex costa Adami Eva edificatur: Ita ex Christo Ecclesia, dormiente illo in morte.* Hinc cognatio spiritualis, ut nunc sumus os ex ossibus ipsius, Eph. 5. v. 30. fratres, Heb. 2. v. 11. corpus ipsius, Eph. 5. v. 30. Ergò non deseret nos ut propriam carnem, Eph. 5. v. 31. nutriet spiritualibus alimentis.

2. *Ut Salomon templum edificavit: Ita Christus verus rex pacis, Esa. 9. vers. 6. princeps pacis, templum, 1. Cor. 6. domum, 1. Tim. 3. v. 15. Eph. 2. v. ult.*

3. *Ut Salomon edificavit domum: Ita Ecclesia Dei domus est, 1. Tim. 3. v. 15. Heb. 3. v. 6.*

4. *Abraham altare edificavit: Christus verum est altare, Heb. 13. v. 10.*

5. *Ædificatores sunt: Sapientes architecti Apostoli, 1. Cor. 3. v. 10. Ministri quivis.*

6. *Fundamentum magisteriale Christus, 1. Cor. 3. v. 11 ministeriale, Apostoli, Prophetæ, Eph. 2. v. 20. Lapis angularis Christus, v. eod. Vide supra: Christus Ecclesiæ fundamentum. Conf. Rom. 15. v. 20.*

7. *Lapides, ex quibus ædificata, sunt Christiani, 1. Pet. 2. v. 5. Ligna dolantur lege, Ose. 6. v. 5. ut 1. Reg. 5. v. 18. ut corda nostra dolantur, per Mosen tabulas duas dolantem, Deut. 10. v. 1. Hi lapides per crucem poliuntur, ut eorum splendeat pietas, per unitatem Spiritus compinguntur, per fidei unitatem, Eph. 2. v. 21. Ex his lapidibus murus Ecclesiæ constituitur, de quibus Psal. 51. v. 20. Pl. 102. Esa. 60. v. 10. Mich. 7. v. 11.*

1. *Compaginationes sunt: Unitas fidei, Spiritus, Eph. 4. v. 4. Unanimitas, 1. Corinth. 1. vers. 10. Pax. Hinc vinculum dicitur, Eph. 4. v. 3. Coloss. 3. vers. 14. Hæc spiritualis compaginationis ratio præfigurata fuit*

T t 3

per

per anfulas illas, Exod. 26. vers. 4. 1. eq. cap. 36. vers. 11.

9. *Vasa* in ædificio aurea, argentea, 2. Tim. 2. v. 20. 21. terrea, 2. Cor. 4. v. 7. Hæc vasorum genera aut notant graduum in donis **DISPARITATEM**, prout metallum metallo præstat: de donorum diversitate in ecclesia, Rom. 12. 1. Cor. 12. aut ipsam hominis *fragilitatem* & **LUBRICITATEM**. Terrea vasa quis nescit facile frangi? aut *vilitatem*, terrea vasa quis dubitat abjici?

10. *Mensa gratiæ* est, Ps. 23. v. 5. *cibus* & *potus* spiritualis, Joh. 6. v. 51. seq. *Sacramentalis*, Matth. 26. & *mensa sapientiæ* in verbo, quam instruit sapientia, Prov. 9. v. 2.

11. *Tectum* est Dei præsidium, Ps. 46. v. 1. & 2. Es. 5. 13. *Venti* & inundationes, sunt tentationes, persecutiones, Ps. 124. v. 4. contra quas stat immobile hoc ædificium, Matth. 16. v. 24. & c. 7. v. 27. Diabolus ædificium hoc impetit *vi* per tyrannos, *fraude* per hæreticos, *hypocriti* per falsos fratres, qui admixti sunt, ut Ismael, Esau, in familiis Patriarcharum.

12. *Janua Christus* est, Joh. 14. v. 6. *Janitor* Spiritus Sanctus, Actor. 16. v. 14. cor Lydiæ aperuit, v. 15. fontem baptismi aperit, per hunc januam pandit in ecclesiam, Zach. 13. v. 1.

13. *Fenestra*, luminaria, lucernæ verbum Dei, Psal. 119. v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine*.

14. *Scopæ* sunt crux & pœnitentia: Persecutiones Dei quoque scopæ, quibus expurgat hypocritas, ventilat & manifestat, domum ecclesiæ mundat, Esa. 14. 23. Jos. 19. v. 50. *ædificat quoq; sibi civitatem*, in monte Ephraim, in qua habitat; ita omnes pios Christus ædificabit in altera vita, ut in gloria nobiscum habitat, Joh.

Joh.17. vers.24. mecum erit, qui nos in hac vita per gratiæ regnum inhabitavit, quod gerit in ecclesia, vero monte Ephraim, hoc est fructuoso. Mons sterilis ecclesia non est.

ECCLESIA EST BETHANIA,

Bethel; Bethlehem.

1433. *Bethania est domus afflictionis, in qua Lazarus resuscitatur, Joh.11. v.1.*

1. *Bethania.* Ita Ecclesia est domus afflictionis, crucis enim doctrina in ea utramq; facit paginam; in qua peccator mortuus ad vitam spiritualem resuscitatur. Hinc illæ voces: *surgere*, qui dormis, ut Jesus Christus illuminet te, Eph.5. v.14.

2. Est quoque *Bethel* Gen.28. v.10. hoc est domus Dei, 1. Timoth.3. v.15. in qua Abram, hoc est, Deus ipse tabernaculum tetendit, Gen.12. vers.8. In Bethel porta cœli erat, Gen.28.v.17. in ecclesia verè porta cœli ostenditur. Ecclesia est vera illa Bethel, in qua Deum invenimus cum Jacobo, Os.12. v.4. Bethel facta est Bethaven, Amos 5. v.5. Quando *papalis fero-boam* Monarchiam politicam introduxit, vitulos Mis-faticos, imo se, pro diis haberi voluit à vera Jerusale-lem & pacis visione homines abduxit, eosdem onerans variis cultibus electitiis; altaria idololatrica hinc inde extruxit, contra quæ si quis Prophetarum Dei clamavit, eum statim rex ille Bethel pontificiæ è medio tolli præcepit, (vid. cat. test. verit.) Alleg. ex 1. Reg.13.v.4. Tandem ejus manus arescere cœpit, potentia imminuta est. *O Domine, amplius imminue à nostra Jerusale-lem, ubi focus ecclesia tuæ, recedas minime.* Ecclesia est Bethlehem, h. e. domus panis, in qua panis vitæ, Joh.6. v.23. natus est.

Tt 4

EC-

ECCLESIA EST CANDELABRUM

Dei, *Exod. 25. v. 31.*

1434. In Ecclesia est verum lumen, nam est columna veritatis, 1. Timoth. 3. v. 15. Lumina sunt partim ministri, Matth. 5. v. 15, partim auditores ambulantes ut filii lucis, Phil. 2. v. 15. Lampa des sunt fides. Inter hæc candelabra ambulat Christus, Apoc. 1. v. 13. Lumen verbi in hoc ecclesiæ candelabro positum est, lucens omnibus, qui in mundi domo sunt.

ECCLESIA EST CANA,

1435. In hac nuptias celebrat Christus ut hospes partim actiuus, partim passiuus, Joh. 2. Ita nullibi celebrabit spirituales nuptias, Matth. 22. v. 3, nisi ubi æmulationis, zelus est, de quo 2. Cor. II. v. 2. Job. 2. v. 19. hoc est, serius pietatis affectus licet non pari gradu. *Cana* enim *zelum* significat, 2. Significat quoque *Cana* domum palearum: In ecclesia est triticum, non purum, paleis mixtum, quæ in iudicio à tritico distinguuntur. *Domus palearum*, quia hinc inde viva ecclesiæ membra, ut paleæ, deiciuntur per persecutiones & fugas, quas tamen Deus numerat, Pl. 56. v. 9.

ECCLESIA EST DOMUS

Simonis leprosi.

1436. *Simon auditorem significat.* Ecclesiæ viva membra verbi auditores, Luc. 8, 47. Joh. 10, v. 3, cap. 8. v. 37. Oves enim Christi vocem ejus audiunt: Est tamen domus leproforum: A peccati enim leprâ pii, quoad radicem non liberantur, nisi per mortem, Rom. 7. v. ult. 1. Cor. 15. v. 27. in hac domo discumbit Christus, cum & ipse hospes & cibus est, in sancta cœnâ cum mensam verbi instruit. *Accubuit simul Judas Ischariotes*, qui typum hypocritarum in ecclesiâ gerit.

E C-

ECCLESIA EST DOMUS FIGULI.

1437. *Domus figuli*, Jer. 16. v. 1. in qua vasa per peccatum Adami primi facta, per meritum Adami secundi refecta. Vide supra loc. de prædest. n. 3. 4.

ECCLESIA EST DOMUS

principis,

1438. *Cujus filia mortua erat, quam tamen sola vivificavit* manu impositione Christus in vitam revocavit, strepentes interim tibicinibus & populo tumultuante, aliis etiam Christum irridentibus, Matth. 9. v. 23. Talis est Ecclesiæ facies, in qua omnes in peccatis mortui, Roman. 7. v. 9. 2. Cor. 5. v. 15. Ephes. 2. v. 5. Col. 2. vers. 13. Hos mortuos solus Christus vivificare vult, Eph. 5. v. 14. Alii tamen in eadem Ecclesia, aut voluptati indulgent, aut divitiis litant, aut Christum plane contemnunt,

ECCLESIA FIRMAMENTUM.

1439. *Fecit Deus firmamentum*, Gen. 1. v. 6. Ecclesia est verum firmamentum.

1. *Habet enim stellas* doctores, qui fulgebunt, sicut stellæ, Dan. 12. v. 3. qui fulgent sicut stellæ fidei luce, Phil. 2. v. 15.

2. *Stelle non possunt numerari*: ita nec multitudo credentium, Gen. 15. v. 5.

3. *Stellarum quadam invisibiles*: hæc Ecclesiam triumphantem notare possunt, quadam planetæ, qui cursum immutant subinde. Tales planetæ impii sunt.

4. Hujus firmamenti Sol Christus est, Mal. 4.

5. *Firmamentum* duobus polis innitur: Duo illi poli sunt duo testamenta, duæ in Christo naturæ, duo charitatis præcepta, 1. Joh. 4. v. 19.

6. *Duodecim signa* hujus firmamenti sunt duodecim fidei articuli.

7. Motu triplici firmamentum movetur: 1. Ab oriente in occidentem. 2. Ab oriente in orientem. 3. Accessionis & refectionis Ecclesiæ membra triplici quoque motu moventur.

1. Ab oriente vitæ in occidentem mortis.

2. Ab oriente peccati & culpæ in orientem Christum gratiæ, Malach. 4. v. 2. *Timentibus nomen meum oriatur Sol.*

3. Motum accessionis ad beatitatem æternam & refectionis è miseris hujus vitæ habebunt in alterâ vitâ. Ecclesia quoque triplici motu concutitur, carnis, Sathanæ, mundi.

8. Corporum firmamenti quodque suam habet lucem, quæ gradibus variat, 1. Cor. 15. v. 41. Ita in ecclesia electi sunt filii lucis, Luc. 16. v. 8. Joh. 12. v. 36. Eph. 5. v. 8. 1. Thess. 5. v. 5. Hos illuminat lux vera, Christus, qui est lux gentium, Esa. 49. v. 6. populorum, Esa. 51. v. 4. sempiterna, Es. 60. v. 19. hominum, Joh. 1. vers. 4. mundi, cap. 8. v. 12. qui nostra corda fulgore cognitionis sui illustrat, 2. Cor. 4. v. 6.

9. Firmamentum laudes Dei annunciat, Psalm. 19. v. 1. etiam stellæ, Ps. 148. v. 3. in Ecclesiâ Dei laudes decantantur, Psalm. 65. v. 1.

10. Secundo die firmamentum creatum, Genes. 1. vers. 6. tertio stellis ornatum. Prima dies Adamo fuit status integritatis, in quo ecclesia (propriissimè loquendo, quatenus est credentium multitudo in Christum) non fuit: Secundus dies est status destitutionis, in quo ecclesia esse cæpit, promulgato Evangelio de Christo, Genes. 3. vers. 13. Quartus dies N. Testamenti tempus significare potest, quo Ecclesiæ firmamentum variis Apostolorum & Doctorum luminibus exornatum, majorem mundo lucem intulit. Secundo

Vet.

Vet. Test. die umbræ erant ceremoniarum, nubes ty-
porum, nubes figurarum: *Omnes sub nube fuerunt.*

1. Cor. 10. v. 1. Sole adhuc justitiæ latente, Heb. 12. Je-
sus Christus heri, (in V. T.) & hodie, (in N. Testa-
mento.)

ECCLESIA EST MONS OLIVETI.

1440. 1. *Obolivarum amaram radicem.* In Eccle-
sia quoque amara radix, lex scilicet, ex qua, cum con-
tritionem efficit, oleum fidei crescit, quod suppedi-
tat lumen divinæ gratiæ, (Sic oleum est luminis pabu-
lum) medicamen vulnerum spiritualium, & esurien-
tium refectionem.

2. *Montis illuminationem triplicem.* Dicitur enim
fuit monstrium luminum, cum quia ab oriente sole
illustrabatur, vespere & lumine templi, tum quia ma-
teriam luminis præbebat; ita ecclesia est mons trium
luminum:

1. Quia tres S. Trinitatis personæ eam illuminant.

2. Quia illuminatur à Christo, tanquam vero ori-
ente ex alto, Luc. 1. v. 78. A Spiritu S. quoque illumi-
natur, quia est lumen ecclesiæ suæ.

3. Quia in ecclesia vera est luminis materia, verbum
scilicet Domini. Hoc est lumen pedum nostrorum,
Ps. 119. v. 105.

ECCLESIA EST MATER.

1441. Gal. 4. v. 26. 1. *Ratione nominis.* Dicitur
enim mater ex Græco à *μάτω*, quod significat quæro ve-
hementer, aut quæror: Sic ecclesia hominum salutem
quærit, eosque ad frugem redire exoptat.

2. *Generationis partus:* Mater dicitur, quæ peperit,
nutritque; Ita ecclesia parturit, Galat. 4. v. 19. Esa. 66.
v. 8.

v.8. Apoc.12.v.1.2. per verbum, tanquam incorruptibile semen, 1.Pet.1.v.23. & quidem in copia excellenti, Esa.54.v.1.2. Jer.10.v.20.

3. *Nutritionis & curationis.* Lac primò infantibus præbet mater, deïn solidum cibum: Ita Ecclesia primò lac præbet, 1.Cor.3.v.2. 1. Pet.1.v.23. deinde solidum cibum, & sic ablaçtat, curam quoque, summa fide, infantis gerit: Sic Ecclesia; hæc enim est hospes illi, cui vulneratum Samaritanus commisit, Luc.10. v.35. De infante lætatur mater, Ps.113.v.9. quotidieque ingeminat, Prov.1.v.8. *Non dimitte legem matris tuæ.* Sic Ecclesia clamat: *Intrate per portam angustam.*

4. *Lærificationis.* Gaudet mater de filiis frugi, Prov.23.v.25. Ita Ecclesia de filiis spiritualibus, Es.54.v.1. Tristitiã autem afficitur ob filios degeneres & abortus, 1.Cor.15.v.8. Act.9.v.13.

5. *Eruditionis.* Mater erudit filium; Talis erat Prov.31.v.1. Samuelis mater: etiam Ecclesia suos erudit filios, sapientiam veram animis instillat.

6. *Consolationis.* Mater filium consolatur, Esa.66.v.13. Ita nullibi est solatium, nisi in ecclesia, Ps.3.v.17.

7. *Sinus.* Mater infantem in sinu fovet, 2.Reg.4.20. Ita in ecclesiæ sinu fovemur, requiescimus. Hæc est Dei sinus, in quo suos sibi colligit filios, & gratiæ ubera porrigit, Ps.74.v.11.

ECCLESIA EST MULIER

amicta sole.

1442. Apoc.12.v.1. *Johanni visa fuit mulier sole amicta:* Hæc Ecclesiam designat, quam Draco persecutus est, cap. eod. v.13. Amicta autem sole dicitur, quia tota Christum induit in baptisinate, Gal.3. vers. 27. cum omnibus beneficiis. Hinc amictum suum expan-

pandisse se dicit Dominus, Ezech. 16. vers. 8. & sancti stolis albis amicti, Apoc. 7. v. 9. quo vestis genere se indui passus est Salvator patiens, ut hunc amictum suæ ecclesiæ communicaret, quam sanguine redemit, Act. 20. vers. 28.

ECCLESIA EST NIDUS NOSTER,

Psal. 84.

1443. 1. *Ratione hospitii.* Avis hinc inde volitans in nido certum habet hospitium: sic pii in mundo hinc inde volitant, ab inimicis dispersi, Ps. 11. v. 1. Psal. 102. v. 7. in ecclesiæ autem nido certum habent hospitium.

2. *Cibi.* In nido cibum sibi avis colligit: Ita in ecclesiæ nido spirituales verbi & sacramentorum cibum habemus.

3. *Enutritionis.* Avis in nido enutritur: ita in ecclesia pii nutriuntur lacte doctrinæ cœlestis.

4. *Concussionis.* Nidi ventis quatuntur: sic ecclesia persecutionibus; est enim nidus *halcyonis*, mari hujus mundi impositus, spinis tribulationum textus, & fluctibus tentationum probatus. Pii omnes sunt halcyones, qui in mari hujus mundi patiuntur, ecclesia autem vera est halcedo. 1. Ore & rostro nidum sibi parat: verbo: Hoc est instrumentalis causa. 2. *Materia* nidi sunt spinæ piscis ejusdam, cui nomen acus: ecclesia nidum habet in tribulationibus, & inter tribulationes crucemque. 3. *Forma* nidi halcedinis apta est contra fluctus: Hæc notat patientiam ecclesiæ. 4. Nidus firmissimus est, nec aqua eum intrat: ecclesia firmissima, Matth. 16. v. 18. 5. Tempus partûs. Per 7. dies mare tranquillum esse perhibetur, cum parit halcyon, & totidem, cum excludit pullos: ita Deus

nonnunquam placida dat tempora, mitia præbet halcyona. Utinam & nostro tandem tempore mare illud bellorum mitesceret, ut spiritualis halcedo ecclesiæ & pullos suos parere & excludere posset: Benignissime Jesu increpa ventos & mare, ut mitescant, fluctus, ut ne tuam halcedinem opprimant!

6. Maximus amor est inter sexum masculin. & fœmineum. Fœminæ mares senes ad dulces aquas portant, potum agunt, in nidum reportant: iste amor officium ecclesiæ figurat, quæ senes doctores enutrire debet, eos portare & cibare, non relinquere in senio. De hac pietate Ælian. c.17.

7. Amant avem illam accolæ maris, quòd eâ maris tranquillitate sibi gaudere videantur ob avem illam: ita precibus ecclesiæ mitigatus Deus sæpe concedit tempora tranquilla ob pios ecclesiæ.

Plura habent de mirabili avis hujus natura Plin. lib. 10. cap.32. mihi Tom.2. pag 486. seq. Arist. hist. animal. lib.3. cap.14. Plutarch. in lib. de different. animal. Ælian. lib.1. cap.36. de natur. animal.

ECCLESIA EST NAVIS.

1444. *Navis Salomonis*, 1. Reg. 10. *aurum & argentum deferebat*: ita

1. Ecclesiæ aurum argentumque verbi Dei & fidei defert ad nos, 1. Pet. I. v. 7. *auro fides nostra pretiosior est*. Hæc ecclesiæ navis mundi hujus mari à fluctibus perfectionum concutitur, quassatur.

2. *Vela* duo sunt lex & Evangelium, quæ inflat Spiritus Sanctus, vel duo vela fidem & charitatem significare possunt.

3. *Malus* est patientia.

4. *Anchora* est spes, Hebr. 6. Remiges sunt ministri.

5. *Cyno-*

5. *Cynosura & polus arcticus*, quem intuentur navigantes, est verbum Dei.

6. *Portus* est vita æterna. Hæc ecclesiæ navis perisset, fracta fuisset, nisi Jonas noster Christus projectus ex ea fuisset per crucis maledictionem, ut Jonæ 1. vers. 15. & mare iræ Dei mitigasset. Sacrificia erant illa suppellex, quam nautæ projecerunt, sacerdotes in V. Testam. ut d. I. Jonæ v. 5. maris fluctus fedare non potuerunt: Christo ipso projecto, submersio opus fuit.

ECCLESIA EST OVILE.

1445. 2. *Ratione defensionis*. Oves in ovili defenduntur ab incurfione luporum: ita pii in Ecclesia.

2. *Munitionis*. Ovile benè munit pastor, ne latrones, fures, lupi irrumpant: ita Ecclesiam Christus. Ille est murus igneus in circuitu, Zach. 2. v. 5.

3. *Quietis*. Ovibus in ovili quies parata: ita piis in Ecclesia.

ECCLESIA EST SOAR.

1446. In qua Loth servari voluit, Gen. 19. vers. 30. Soar parvum residuum significat. Hoc Ecclesiæ congruit, quæ residua ex mundi Sodoma. Es. 1. v. 9. *Nisi Dominus nobis superesset*. In hac Ecclesia servamur, cum alias nobis pereundum esset.

ECCLESIA IN REGNO GRATIÆ

est Dei uterus.

1447. Es. 46. v. 3. *Portamini à me in uterò, gestamini à mea vulva*. Uter hic est Ecclesia,

1. *Ratione conceptionis*. Ut enim infans ex utriusque parentis semine concipitur. Ita ex semine incorruptibili verbi Dei generamur, 1. Petr. 1. vers. 23. in ecclesia concipimur.

2. *Par-*

2. *Partium succedentis formationis.* Non enim in tempore simul omnia membra vel partes simul renovantur, sed paulatim, 2. Cor. 4. v. 16. donec planè adolefcamus, Eph. 4. v. 13.

3. *Nutritionis.* Infans nutritur in utero matris: Spiritualis mater Ecclesia omnes quoque nutrit lacte sinceræ doctrinæ, 1. Cor. 3. v. 2. 1. Petr. 2. v. 2.

4. *Occultationis & vitæ absconsonis:* vivit quidem infans, sed vitæ adhuc occulta est in matre; sic in Ecclesia vivunt pii, sed vitæ spiritualis illa abscondita est in Christo, donec patefiat, 1. Joh. 3. v. 2. Col. 3. v. 3.

5. *Motionis:* ut infans movetur motu quodam naturali, qui vitæ index est: Ita infantes spirituales suos habent motus, exaltationis in Domino, Luc. 1. vers. 47. motionis per Spiritum sanctum, Rom. 8. vers. 14. Hæ sunt signa vitæ spiritualis.

6. *Doloris, quem mater sæpe sentit gravida:* ita doctores verbi, cum animadvertunt, auditores sæpè fidei puritate & vitæ innocentia defciscere, denuo eos parturiunt, donec Christus in eisdem formetur, Galat. 4. v. 19. In utero Ecclesiæ gestamur & portamur, donec tandem utero egressi in vitam spiritualem regni gloriæ transmigramus.

ECCLESIA EST VITIS.

1448. *Uxor est sicut fructifera vitis*, Plalm. 128, 3. Uxor Domini est Ecclesia, Apoc. 19. v. 6. quæ filios innumeros gignens, vitis fecunditatem exæquat. Ad hanc vitem ligavit afinam suam; quando ad Ecclesiam ejus venit, Gen. 49. 11. Matth. 21, 2. sub hac vite, regnante cœlesti Salomone nostro Christo, tuto requiescimus, ut 1. Reg. 4. v. 25. qui eam defendit contra portas infe-

DE ECCLESIA.

673

inferorum, Matth. 16. v. 8. visitat, Pl. 80. v. 15. Curemus; ne degeneremus, Jer. 2. v. 21. (quotquot in hac vinea fumus) in labruscas.

ECCLESIA EST VAS LINTEUM

Petro monstratum.

1449. *Linteum omnis generis animalibus repletum cælog, delapsum Petro monstravit Dominus, Actor. 10. v. 11. & 12.*

1. Ecclesiæ symbolum est, quæ omnis generis hominibus colligitur, gentibus, Judæis: nullum enim hic est discrimen, Gal. 3. v. 28. Rom. 1. v. 6.

2. E cælo delabitur quoque ecclesia: tota enim ejus generatio & origo cœlestis est, Gal. 4. v. 26.

3. Quatuor oræ lintei, mundi notare possunt partes quatuor.

ARTICULUS II.

DE ECCLESIAE CONSERVATIONE.

DEUS EST CUSTOS

Ecclesiæ.

1450. *Turrim enim edificavit in ea, Matth. 21. v. 33. Esa. 5. vers. 2. Turres vero defendendarum civitatum causa extruebantur, Judic. 9. 52, 2. Chron. 14. vers. 7. cap. 27. vers. 4. In hac civitate, Ecclesia nempe, Deus est, Psal. 46. v. 6. quia ibi nomen ipsius est, turris illa fortissima, Prov. 18. v. 20. Ubi autem nominis divini memoria, ibi ipse Dominus, Exod. 20. v. 24.*

ECCLESIA INTER MUNDI

pericula servatur.

1451. *Imaginem exhibet Moses in arca servatus &*

Uu

abscon

absconditus, tandemque enutritus à filia Pharaonis, Exod. 2. v. 3. Ita Ecclesia inter persecutiones nihilominus servatur, ne aquis afflictionum penitus submergatur. Ita Abrahami & reliquorum Patriarcharum ecclesiae inter tot exilii fluctus servata. Ita Ecclesia Israelitica in Aegypto, in captivitate Babylonica, Ecclesia novi Testamenti sub 10. persecutionibus, sub Tyrannide Papatus servata, & adhuc servabitur, Te, Domine, servante, qui promisisti, Matth. 16. v. 18. *Porta inferorum non praevalent adversus ecclesiam.*

ECCLESIA MIRABILITER conservatur.

1452. Exod. 8. v. 22. *In terra Gosen immunes erant filii Israel à plagis Aegyptiacis*: Ita Deus Ecclesiam suam, in qua veri Israelitae, Rom. 9. vers. 6. immunem praestabit à plagis mundi, quando eam inter ruinas imperiorum & tantas confusiones generis humani conservaturus est, Matth. 16. v. 18. *Porta inferorum non praevalent adversus eam.*

ECCLESIA à CHRISTO aedificata.

1453. *Eva mater viventium, ex costa Adami formata*, Gen. 2. v. 21. cap. 3. v. 20. Ita ecclesia omnium spiritualiter viventium mater, Galat. 4. vers. 19. & 26. ex dormientis Christi latere formata, Actor. 20. vers. 28. Conf. Ephes. 5. vers. 30.

ARTI-

ARTICULUS III.

DE MATERIA EC-
CLESIAE.

I. De Apostolis & Martyribus.

ECCLESIAE MEMBRA DÜ-
plicis generis.

1454. *Rece unum ruptum fuit*, Luc. 5. v. 6. *alterum non fuit ruptum*, Joh. 21. v. 6. Ita Deus fagenâ unâ capit homines in hac vita; quorum multi per rete excidunt, non obtemperantes Evangelio; 2. Theff. 1. v. 10. *Alterâ* verò fagenâ salvi & incolumes in litus protrahuntur, verbo obedientes.

UNDECIM APOSTOLI.

1455. Gen. 37. v. 9. *Joseph somnium vidit de undecim stellis honorem ipsi exhibentibus*: Undecim Apostoli notantur, qui fuerunt velut stellæ in mundo, fulgentes luce verbi, unde lux dicuntur, Matth. 5. v. 15. Qui Christi honorem longè latèque disseminarunt.

APOSTOLI DUODECIM.

1456. Comparantur duodecim 1. *Filiis Jacobi*, Gen. 35. v. 22. qui propagarunt ecclesiam: Sic duodecim Apostoli ecclesiam Novi Testamenti congregarunt, voce Evangelii propagarunt.

2. *Duodecim fontibus in Helim*, Exod. 15. v. 27. Tales fontes Apostoli fuerunt, qui cœlestis doctrinæ aquis animas sitientes refecerunt.

3. *Duodecim Præfectis filiorum Israel*, Num. 1.

4. *Duodecim lapidibus pretiosis in veste sacerdotali*, Exod. 39. v. 14.

Hu 2

5. Duo 2

5. *Duodecim præfectis Salomonis*, quos ille rei cibariæ præfecit, 1. Reg. 4. v. 7. sic cibo spirituali præfecit duodecim Apostolos in novo Testamento, major ille Salomone.

6. *Duodecim margaritis portarum* in cœlesti Jerusaleme, Apoc. 21.

DUODECIM APOSTOLI.

1457. *Duodecim lapides Josua in memoriam transitus Israclitarum, ex flumine Jordanis erigi voluit*, Jos. 4. v. 5. Hi duodecim Apostolos notare possunt, qui spiritualis nostri transitus per flumen divini judicii testes in omnibus locis, Act. 13. v. 31. constituti sunt.

APOSTOLI A CHRISTO.

1458. Velut Elisæus ab Elia subordinatus, 2. Reg. 2. v. 9. Ita omnes Apostoli à Christo velut cœlesti Elia ordinati ad muneris Apostolici functionem ubivis locorum obeundam.

APOSTOLI SUNT COLUMNÆ
marmoreæ.

1459. *Esth. 1. vers. 5. Arx Susan marmoreis columnis coruscabat, in qua regnabat Ahasverg rex.* Jehova verus ille regum rex est, 1. Tim. 6. v. 16. arcem quoque suam habet, in qua regnat, hoc est, ecclesiam vel montem Sion, Ps. 2. v. 7. quæ marmoreis coruscat columnis; Hæ Apostoli sunt, Gal. 2.

1. *Ob constantem soliditatem*, quæ propria est marmoris; ita Apostoli in adversis perferendis constantissimi, 1. Cor. 4. v. 11. seq. 2. Cor. 6. v. 4. seq.

2. *Ob pulchritudinem*, quæ in marmore. Talis decor quoque est in virtutibus Apostolorum.

3. *Ob*

3. *Ob medicam facultatem*: dicitur marmor conservare aromata pretiosissima: Ita Apostoli quoque aromata divini verbi conservârunt & disseminârunt in omnem terram.

APOSTOLI ELOQUENTES.

1460. Sap. 10. v. 21. *Sapientia linguas infantum facit disertas*: Sapientia Christus, qui discipulorum velut infantum linguas disertissimas fecit, Act. 2. v. 8. Ille enim est, qui os homini dedit, Exod. 4. v. 11. & 12.

APOSTOLI OMNIA RELI-
querunt.

1461. *Nauta, periclitante navi, omnia ejecerunt*, Jon. 1. v. 5. ut levior fieret: Ita Apostoli reliquerunt omnia ob ecclesiæ navem, & ut prædicatio Evangelii tantò faciliùs propagaretur, quod fieri non potuisset, si ecclesiæ navem bonorum temporalium onere saburrassent, 1. Cor. 9. v. 12. Act. 20. 34. 1. Thess. 3. 8. Ita Andreas retia reliquit & patrem, Matth. 4. v. 22. Petrus omnia, Matth. 19. 27. Nostrum quoq; est omnia relinquere, ita, ut ne cor appendamus divitiis, Ps. 62. 11. sed mundo utamur, non abutamur, 1. Cor. 7. 31. Deinde, si necessitas persecutionis exigat, ipso effectu omnia bona relinquamus, centuplum recipiamus, Luc. 18. 29. 30. Hæc derelictio est vera; ficta est Monachorum paupertas & derelictio, glorientium se omnia derelinquere, cum tamen eis suppetat copia rerum omnium:

Adiurgustia cœnobiorum, & contemplare, quam opiparè vivant; Monachi maximam partem inutilia pondera
terræ.

APOSTOLI CENSENTUR EBRII.

1462. *Ut Anna temulentia nomine suspecta fuit Eli,* 1. Sam. 1. v. 14. Ita *Apostoli* die pentecostes ebrii dicti sunt à Judæis, Act. 2. eadem explicatius, seq.

DISCIPULI EBRII DICUNTUR immeriti.

1463. 1. Sam. 1. v. 14. *Anna filium impetratura, orat in tabernaculo, qua ebría Eli visa fuit, qui ipse convenientiã nimiam in filios ebríus erat.* Impetravit tamen mulier quod petiit à Domino, ipse sacerdos iudicio falsus est: sic irrisores illi, Act. 2. v. 13. discipulos vino plenos esse dicebant, cum ipsi interim ebrii essent, & quasi vomentes errarent, Esa. 19. v. 14. calice furoris Domini, Es. 51. v. 17. quo iudicio suo inebriare solet eos, qui nolunt dilectionem veritatis accipere, 2. Theff. 2. v. 10. *Anna filium impetravit:* Spirituales filios Deo genuerunt Apostoli, per prædicationem verbi, ut patres spirituales ex ecclesia matre spirituali, Gal. 4. v. 26.

APOSTOLI MAJORA QUAM IPSE

Christus miracula fecere.

1464. *Duplex spiritus Eliã erat in Elisæo, qui plura miracula præceptore Eliã fecit,* 2. Reg. 2. v. 9. Ita discipuli Christi majora & numero plura miracula fecere, ut quando Petrus umbra ægrotos sanavit, Act. 5. v. 15. Hoc ipse Christus prædixerat, Joh. 14. v. 12. *Majora horum faciet, quia vado ad Patrem meum.* Sic Christi miracula exiguis Judææ confinuitq; terrarum limitibus velut contenta fuere; At Apostoli miracula cum doctrina ubivis terrarum conjunxerunt.

JOHANNES CHRISTI PRÆ-
cursor.

1465. *Josephum terræ Egypti patrem præco autegressus*

sus est, qui clamavit: Hic est terra pater! Gen. 41. v. 43.
Ita Christum patrem confratrem nostrum antecessit
vox præconis Johannis, clamantis: Hic est agnus Dei,
qui tollit peccata mundi, Joh. 1. v. 29. testantis, Chri-
stum esse veram lucernam, Joh. 1. v. 8. patrem æternum,
Es. 9. vers. 6.

JOHANNES BAPTISTA

Lucerna.

1466. Psal. 132. v. 17. *Uncto meo præparavi lucernam.* Unctus ille Christus est, Psal. 41. v. 8. nosque un-
gens, 1. Cor. 2. v. 11. unctiōne Spiritus sancti, 1. Joh. 2.
v. 30. Huic præparavit lucernam, quæ fuit Johannes,
Joh. 5. v. 35. lucens doctrinæ luce, Johan. 1. v. 7. & vitæ,
Math. 3. v. 5. Neutram harum tenet bricosi Judæi ac-
ceptarunt, ideoque nec unctum verum, cui ille lucerna
præparatus erat, cognovère. Hanc lucernam Herodes
fregit, Marc. 14. occidendo Johannem.

JOHANNES BAPTISTA ERAT

lucerna extra velum.

1467. Exod. 27. v. 21. *Lucerna ardens extra velum
erat, pro quo oleum purum afferre jussi sunt Israelitæ.*
Lucerna ardens Johannes Baptista fuit, ardens zelo,
Marc. 3. v. 7. cap. 23. v. 33. lucerna fuit, testans de luce,
Joh. 1. v. 7. 8. cap. 5. vers. 35. sed extra velum Vet. Testa-
menti Mosaicum, 2. Cor. 3. v. 16. Pharisæi & tota Syna-
goga intra velum, Actor. 13. vers. 27. Pro hoc luminari
oleum purissimum pietatis afferre debuissent; oleum
purissimum fidei non attulerunt, quod ex hac lucerna
ardente accedere potuissent Judæi.

JOHANNES BAPTISTA COM-

paratus cum Elia.

1468. Johannes Baptista est Elias: 1. *Ob Spiritum
sanctum*, cujus virtute Johannes non secus ac Elias in-
itus erat, Luc. 1. v. 17.

Uu 4

2. Ze-

2. *Zelum*, quo arsit Elias; Ita zelo cultus repurgandi arsit Johannes, quando omnium oculos in agnum Dei, Christum, intentos esse voluit, Joh. 1. v. 29. Pharisæos increpavit, Marc. 3. v. 7. Herodem objurgavit, Marc. 6. v. 18. ex Levit. 18. v. 16. sicut Elias Achabum, 1. Reg. 17. v. 1.

3. *Constantiam*. Hæc magni fuit in Eliâ, 1. Reg. 18. v. 18. Non minor in Johanne eadem fuit, Matth. 11. v. 8.

4. *Vitium*, Elias 1. Reg. 17. v. 6. à corvis pascitur, Johannes Baptista locustis agrestibus vescitur, Matt. 3. vers. 4.

5. *Vestitum*. Zonâ pelliceâ Elias cinctus erat, 2. Reg. 1. v. 8. consimili Johannes, Matth. 3. v. 4.

6. *Premium mundi*. Elias multas persecutiones passus est à Jesabele, 1. Reg. 19. v. 3. Ita Johannes Baptista à Jesabele Synagoga Judaica, Matth. 11. vers. 18. & 17. v. 12. 13. multa passus. Tandem ab Herodiade in necem traditus, Matth. 14. v. 8.

D. JOHANNES CONTRA

hæreses pugnans,

1469. *Johanni retis restitutio tribuitur*, Matth. 4. vers. 21. quando rete Evangelii per hæreticos ruptum, Deitatem Christi negantes, refecit hoc Johannes, ex professo articulum hunc tractans, Joh. 2. v. 1. seq. Evangelii enim verbum est rete sacrum.

PAULUS CONVERSUS.

1470. *Balaam & seniores Midian videntes populum Israeliticum, hostes omnes pessundare & factis strepibus indies clarescere, Balaamum bariolum ad maledicendum imprecandumq; premiis adducere satagerunt. Cum 3. in viâ esset Balaam, & populo Dei maledicturus esset, Dominus ei restitit, & maledictionem benedictione* com-

commutare compulsus est. Midianita hoc audientes, facti rationem exigunt ab hariolo, qui se ex Dei mandato hoc facere liquido indicat, Num. 22.

1. Bileam Satanam notare potest.

2. *Seniores Midian Phariseos & Scribas, videntes ecclesie adolescentis felicissimos progressus, cruentas persecutiones, perfectore Paulo instituerunt, A Cor. 9. vers. 1.*

3. *Is cum ad maledicendum & persequendum Damascus pergeret, Dominus ei restitit & in viam salutis, quam persequabatur, reduxit.*

4. *Hoc animadvertentes Judæi, mirati sapius sunt hanc subitam metamorphosin; ille verò vocationem semper obtendit, A Cor. 22. v. 6. seq. I. Cor. 15. vers. 9. Gal. 1. v. 13.*

PAULUM CHRISTUS IN VIA

alloquutus.

1471. *Redde rationem vilscationis tue, Luc. 16. quid audio de te, quasi bona mea dissipaveris? Vox est Domini ad servum malum.* Talis fuit Paulus, de quo & audivit per preces fidelium (sic liceat humanitas loqui) & vidit per omnipresentie oculum, Sir. 23. v. 27. quod omnia bona dissipasset; quod vineam ecclesie, ut aper devastasset, idcirco monet in via eundem, ut rationem reddat dispensationis & calcitratio- nis contra stimulum.

PAULUS PLUS RELIQUIS

laboravit.

1472. *Major portio Benjamin à Josepho data est, Genes. 43. v. 34. Benjamin Paulum significat de tribu Benjamin, Phil. 2. v. 1. Rom. 11. v. 1. Joseph Christum, qui Paulo gratiam excellentem contulit, 2. Corinth. 13. v. 9. ut plus reliquis laboraverit.*

Uu §

PE-

PETRUS ET PAULUS.

1473. *Duo discipuli missi ad solvendum asinam & pullum*, Matth. 21. v. 1. Petrus & Paulus sunt duo Christi discipuli, quorum hic asinam, hoc est, Judæos; ille pullum, hoc est, Gentes per prædicationem Evangelii convertit.

PAULI

1474. *Typus Heliodorus, templum ingressurus, illud spoliaturus, quem equitis terribilis imago à proposito revocavit*, 2. Maccab. 3. v. 25. Ita Paulus

1. Damascum petebat, ipsa Spiritus S. templa, fideles, ad lanienam pertracturus.

2. Verùm cecidit ut Heliodorus, illuminatus à Domino, ejusque voce terribili examinatus. Haman cecidit coram Mardochæo; ita Paulus coram Christo. Haman suspensum cupiebat Mardochæum. Christum Paulus, non in persona quidem cupiebat extinctum, sed in membris; quo sensu & ipse Christus dicitur crucifixus, cum membra crucifiguntur, Apocal. II. v. 8. & esurire, cum membra his malis premuntur, Matth. 25. vers. 45.

PROPHETÆ ET APOSTOLI
conjuncti.

1475. *Æneæ bases sustinebant columnas*, Exod. 27. v. 10. Ita Prophetæ Apostolos, quando in doctrinâ suâ unum Christum monstrant, Luc. 24. v. 44. Eph. 2. v. 20. Sic Dominus ad Jeremiam, c. 1. v. 18. *Feci te murum æneum*. Æneæ bases fuerunt, ob constantiam, ob prædicationem sonoram.

THOMÆ INCREDULITAS.

1476. *Thuribula tollere, inq. laminas producere, altari affigere*, Num. 26. 38. *jussu fehoꝛa*: Ita Thomæ incre-

credulitatem ecclesia repetit ad memoriam & correctionem. *Lapsus majorum* (Thomæ) *sit tremor minorum*, (nostrum) pulchrâ antiquitatis voce.

PETRUS GENTIBUS PRÆDICARE

nolens.

1477. *Discipuli infantes ad Christum afferre veritabant*, Marc. 10. vers. 13. Tales erant Petrus alique in primitiva ecclesia, qui gentes tanquam infantes lacte Evangelii primùm nutriendos, ad Christum duci, prohibebant. Sed, uti Christus indignè hoc discipulorum factum tulit, eosque à promissionum communionem refutavit: Ita istum circa fidei circumstantiam lapsum Deus ægrè tulit, Act. 10. v. 13. ad gentes quoque pertinere, Evangelium liquidò ostendit, Act. 13. v. 47. c. 18. v. 16.

PETRUS ET PAULUS

Cherubini.

1478. *Alis obumbrantes propitiatorium*, Exod. 25. v. 18. Hebr. 2. v. 5. *aurei erant, faciebus oppositis propitiatorium intenti*.

1. Paulus & Petrus sunt duo Cherubini, intuentes Christum, verum propitiatorium, Roman. 3. v. 25. super quo aurum cælestis doctrinæ ædificarunt, 1. Cor. 3. v. 12.

2. *Alis autem doctrinæ suæ Christum obumbrarunt*. Paulus gentes sub alas gratiæ Christi, Marc. 23. v. 37. collegit. Petrus Judæos: semper tamen in unicum Mediatorem intenti, Act. 15. v. 11. 1. Pet. 1. vers. 11. Gal. 2. v. 8. 9.

PAULUS EST BENONI ET

Benjamin.

1479. *1. Filius doloris matri est spirituali, Ecclesia nima*

111202

rum, quam ille persecutus est, Actor. 9. v. 5. 1. Tim. 1. v. 15.

2. *Filius dexterae est patri, hoc est, Deo, cui vas electum fuit, ut patri misericordiarum, quæ illi obtigerunt. Filius dexterae, ad dextram Dei collocandus olim, Matth. 25. v. 34. 2. Tim. 4. v. 8.*

PETRUS JUDÆOS CON- vertens.

1480. *Domus Josephi dispensator, fratres Josephi in domum ipsius introduxit, Gen. 43. v. 16. & prandium lautissimum apparavit: Tales dispensatores sunt Apostoli, & maxime D. Petrus, qui Judæos fratres Christi secundum carnem, in domum, hoc est, ecclesiam Christi, 1. Tim. 3. v. 15. introduxit, & Evangelii spirituale epulum iisdem præparavit. Vide Act. 11. v. 2. seq.*

PETRI DE PRÆDICATIONE inter gentes opinio.

1481. *Gen. 24. Foris mansit Eliazarus stans apud Camelos ad fontem, Talis fuit Petrus, qui Christo, celesti Isacco, sponsam adducturus, foris stetit, hoc est, gentibus prædicare renuit, & apud Camelos mansit, h. e. Judæos, qui legis onera portarunt. Vide articulo sequenti alleg. 11.*

MARTYRES.

1482. *Similes 300. Gideonis militibus, lagenas frangentibus in manibus suis, Judic. 7. Ita hi corporis vas fregerunt moriendo, hostes veritatis rubore suffuderunt.*

MARTYRES PROPUGNACULA argentea.

1483. *Cant. 8. v. 2. Propugnacula argentea significant mar-*

martyres & doctores ecclesiæ, qui doctrinam cœlestem propugnârunt, & suam ipsorum vitam non dilexerunt, Apocal. 12. v. 11. Argentea illi sunt propugnacula ob probationem, Psal. 12. v. 7. Psal. 77. v. 10. Proverb. 17. v. 3.

ARTICULUS IV.

DE JUDÆIS ET PHARISÆIS.

JUDÆI OB SUA IPSORUM PECCATA
funditùs excisi.

1484. Ezech. 19. v. 14. *Egressus est ignis de virga ramorum Israel, qui fructum ejus comedit, & non erat in ea virga fortis in sceptrum dominantium: Planctus est, & in planctum erit.* His verbis propheta instantem Reip. everfionem per Chaldæos prædixit. Non incongruè eadem ad panoletriam Judæorum per Romanos factam trahi possunt, de virga ramorum Israel, quod toties per prophetas minitatus fuerat, Jerem. 11. v. 16. Jer. 4. v. 4. Deut. 32. v. 22. Ille ignis omnes fructus comedit, & virgam (imperium) funditùs sustulit, Judæis per totum terrarum orbem hinc inde dispersis.

JUDÆI DISPERSI.

1485. *Hagar cum filio vagata fuit in solitudine, postquam ob inobedientiam ab Abrahamo ejecta domo est, Gen. 21. v. 14.* Tales sunt Judæi, qui ob inobedientiam suam Actor. 13. v. 46. 2. Theff. 2. v. 15. à Deo, vero Abrahamo, domo Ecclesiæ 1. Tim. 3. v. 15. expulsi vagantur, in solitudine mundi hinc inde dispersi, quod toties eis Dominus minitatus fuerat. Vagantur

tur itaque, & filiorum suorum sitim spiritualem solatii experiuntur, quam extinguere non possunt, quia aqua verbi divini deficit illos, Gen. 21. v. 14.

JUDÆI POSTHABITI, GEN-
tes prælatæ.

1486. *Ephraim posterior Manasse, Manassi prælatus est*, Gen. 48. v. 17. Typum gerit Ephraim gentium, quæ Manassi, hoc est Judæis, prælatæ. *Manasse* obli-
viosum significat: ita Judæi jam obli-
viosi facti fœderis Evangelici cum Adamo in Christo percussi, re-
jecti sunt, Rom. 9. v. 8. & 32. *Ephraim* notat fructuosum: ita
gentes, quoniam Judæi fructum ferre volebant, El. 5.
v. 4. *Dabitur aligenti facienti fructum ejus*, Matth. 21.
v. 34. Consideremus igitur bonitatem Dei nobis gen-
tibus collatam, & justitiam in Judæis ostensam, ti-
meamusque Rom. 11. v. 22. sequentibus. Matth. 21. v. 43.
receptæ sunt instar Ephraim. Hoc illud est, quod dicitur
Actor. 13. v. 46.

PHARISÆI SUNT VIPERÆ,
Matth. 3. v. 7.

1487. 1. *Ob venenationem*, quod vipera habet effi-
cacissimum: ita Phariseorum doctrina fuit venenum,
quò multorum mentes infectæ animarum medicum
Christum non agnoverunt.

2. *Balsami usurpationem*, cujus succo vipera utun-
tur: ita Pharisei Prophetarum scriptis & Mosis suos
errores palliare studebant.

3. *Cum testudineterrena avrimadæa*; illa Christum
significare potest, inter quem & Phariseos maxima
fuit avrimadæa.

4. *Matris interfectionem*, dicitur enim vipera ma-
trem in partu interficere: Sic Phariseorum secta ipsam
matrem Judæam ecclesiam paulatim per corruptelas
è medio ferre sustulit.

§. Ira

5. *Iracundiam*, qua maximè excandescunt viperæ. Talis Pharisæorum ira, furor adversus Christum fuit, Deut. 32. v. 33.

6. *Surditatem*. Dicitur enim aures obturare ad incantationes, Pl. 58. v. 5. Ita Pharisæi aures occluserunt ad Christi monita.

7. *Via periculostatem*. Vipera enim in viis insidiatur, & incautè calcantes lædit; ita Pharisæi in omnibus Christi viis insidias locarunt, ut eum morti traderent.

CONSILIA SCRIBARUM ET

Pharisæorum.

1488. Gen. 40, 6. *Simeoni & Levi arma violenta assignantur consiliumq; perversum, cui pii Jacobi anima non adhesit, quod non approbavit. Idcirco maledictionem pater & dispersionem imprecatus.* Talia Phariseorum Scribarumque consilia fuerunt, arma scilicet violentiæ & latronum, in Christo prodendo, tentando, cruci denique affigendo, quia homicidæ patris genium sequuti sunt, Joh. 8. v. 44. Psal. 17. v. 4. Matth. 22. v. 7. templum Domini speluncam latronum faciendo, Matth. 21. v. 13. linguis suis toties Christum occidendo, Jer. 8. v. 8. Quocirca maledicti sunt & inter Jacobæos veros, Rom. 9. v. 6. dispersi sunt.

JUDÆORUM INTERITUS

gentium salus.

1489. Lu. 7. v. 37. *Mulier alabastrum fregit, diffusus est odor, inq; pedes Christi unguentum effusum:* ita quoque gens Judæa alabastrum fuit unguentorum pretiosorum verbi, testamenti, adoptionis, Rom. 9. v. 4. Hoc fractū est cum Christus in propria venit, & sui eum

non

non receperunt, Joh. 1. v. 11. odorque cognitionis Christi etiam ad gentes diffusus est, Rom. 11. v. 25.

JUDÆORUM EXCÆCATIO.

1490. *Palpant Judæi parietem, impingunt meridie, quasi in tenebris, Esa. 59. vers. 10. Paries illa legis litera est, & carnalis de Messie regno conceptus. Hunc parietem cæci spiritualiter palpant: Et tamen ostium non inveniunt, quod est Christus, quia impingunt in meridie, luce scilicet Evangelii clarum jubar ostendente, & verum justitiæ solem, quem tamen tenebræ non apprehenderunt, Joh. 1. v. 4. quia homines magis tenebras, quam lucem, dilexerunt, tenebras nimirum inscitie & nequitie, eandem causam Esaias annotat hoc loco vers. 12.*

JUDÆI SIBI IPSIS CAUSA

perditionis.

1491. *Esa. 17. v. 10. Oblita es Dei salvatoris tui, & petra fortitudinis tue non es recordata, propterea plantationem amœnam plantabis, sed vites alieno pones. Obliviosi hi sunt Judæi, salvatoris toties promissi obliviscentes, & petram fortitudinis spernentes, quæ illos ex Ægypto eduxerat, 1. Cor. 10. vers. 4. Quocirca amœnam plantationem plantabant, quosvis errores & patri traditiones ex scripturis palliando, vide Matth. 5. sed quia has plantas non plantaverat Pater cœlestis, Matth. 15. 13. rejectæ sunt, & alieno, nimirum Satanæ, vites posuerunt, aberrantes, à vera vite Christo, Joh. 15. v. 1.*

JUDÆORUM PERDITIONIS

causa non est Deus.

1492. *Jerem. 15. v. 9. Sol ipsis occidit in meridie, quod*

in

in Judæis completum est, quando ipso die Nov. Test. quo sol justitiæ clarissimè fulsit, cæcutierunt, iplisque ad eò sol occidit, sicut cæcis sol medio axe non lucet. Hoc est velamen illud incredulitatis, Rom. 11. vers. 20. i. Thessal. 2. v. 15. ut Mosen legentes, Act. 15. v. 21. non intelligant, 2. Cor. 3. v. 15.

JUDÆI VERI CAINITÆ.

1493. *Interrogatus Cain, ubi frater ipsius esset, nescire dicebat, quem tamen occidisset*, Gen. 4. v. 9. Ita Judæi, Joh. 9. v. 29. nescire dicebant, unde Christus esset, quem tamen malitiosis convitiis toties occidissent.

JUDÆI SUNT CAMELI.

1494. *Qui ruminant: ita Judæi, sed non dividunt ungulas, hoc est, non discernunt veram intelligentiam*, 2. Cor. 3. v. 16. Nihilominus tamen portant onera legis, ut Cameli: onus illud intolerabile, Act. 15. v. 10.

JUDÆI DOLENTES CONVERSIONEM GENTIUM.

1495. *Dolebat Jonas de arefacta hedera & pœna ablata à Ninivitis*, Jon. 4. v. 1. 2. 3. Ita Judæi legem ablatam esse dolent, & gratiam gentibus collatam, i. Thessal. 2. v. 15. 16. Conf. Act. 13. v. 46.

JUDÆI CHRISTIANOS ODIO HABENT.

1496. *Esau ob impetratam benedictionem mortem minabatur Jacobo*, Gen. 27. v. 41. Ita Judæi, jus carnalis primogenituræ & adoptionis venditantes, Rom. 9. v. 4. & sanguines, Joh. 1. v. 13. & paternitatem Abrahami, Johan. 8. vers. 39. extremo odio Christianos prosequuntur, quod & illi benedictionis Christi per fidem cum fidei Abrahamo participes facti sint, Galat. 3. vers. 9.

SYNAGOGA JUDÆORUM CUM
honore sepelienda.

1497. *Joseph jam mortuum patrem osculatus est* :
Gen. 50. v. 1. Mortua mater Synagoga erat, appropin-
quante vera vita Christo Jesu, quæ osculanda fuit,
quando paulatim abrogata est, & antiquata. Vide
Actor. 18. v. 18. c. 16. v. 3.

JUDÆI OFFENSI IN
Christo.

1498. *Juxta ostium Eli cecidit*, 1. Sam. 4. vers. 18.
cum cor timore percussum foret ob arcam Domini.
Judæorum hic typus lapsorum est, qui juxta ostium
vitæ æternæ ceciderunt, Rom. 9. v. 32. cum diffidentia
erga Christum laborarent, verbis ejus fidem habere
recusarent.

JUDÆI INCREDULI à DIABOLO
oblessi.

1499. *Grex suum* Matth. 8. v. 32. *à Diabolis obsessus*
est, temporale aliquod commodum præ Christo dixerunt :
Talis grex suum erant Judæi, qui vineam Domini de-
vastantes (quod suum est proprium, Psalm. 80. v. 14.)
& sine omni disciplina instar suis oberrantes, Prov. 11.
v. 14. margaritas divini verbi conculcarunt, Matth. 7.
v. 6. repellentes eas. Itaque sucs hi in mare præcipites
acti, *mare scilicet generalis illius dispersionis* in univer-
sum mundum, *mare malorum*, ut etiamnum querelam
illam ex Threnis ingeminare possint, Thren. 2. vers. 13.
Magna est velut mare contritio mea, quis medebitur
michi ?

JUDÆI REJECTI
à Christo.

1509. *Ob Rachellem servavit Jacob, qua à Labano*
negata fuit, Gen. 29. v. 23. Sic Christus ad perditas oves
do-

domus Israel venit, Matth. 15. v. 24. inque propria, Jo-
han. 1. v. 11. & voluit Jerusalem congregare, Matth. 23.
v. 37. Ob hanc servivit, quia servus circumcisionis fa-
ctus est, Rom. 15. v. 8. Sed Satanas, qui excæcat corda,
ne Evangelio credant, 2. Cor. 4. v. 4. hanc Rachelem,
hoc est, Judæos, Christo negavit, *Lea ergò substituta
est, hoc est, gentes*, quæ instar Leæ lippis sunt oculis, ob-
tenebratum habentes intellectum, Eph. 4. v. 18. & ve-
lamine tectæ, 2. Cor. 3. v. 15. ut Judæi.

JUDÆI PUNITI OB SAN- guinem Christi.

1501. *Jesabele fenestra præcipitata est, quod innocen-
tissimum Naboth ob vineam interficiendum curasset*,
2. Reg. 9. v. 33. 1. Reg. 21. v. 2. Ita Synagoga, quamvis se
crimine cædis purgare voluerit, ut Jesabel se ornavit,
2. Reg. 9. v. 30. attamen præcipitata est è fenestra, quan-
do de tota politia delata, ipsi canibus respectu Judæo-
rum ita dictis, Matth. 15. v. 26. præda facti sunt.

2. Innocentissimus *Naboth Christus fuit*, ob vineam
ecclesiæ suæ trucidatus, ex qua hortum olerum facere
volebant Judæi, hoc est, regnum temporale quæ-
rebant.

3. *Papa quoque talis Achab fuit*, vineam ecclesiæ
vastavit, vitem Christum sustulit, vinum Evangelii ab-
sinthio traditionum humanarum miscuit, hortum ole-
rum, divitiarum, indulgentiarum ex ecclesia fecit,
Christum Jesum in membris interfecit, crucifixit, Apo-
cal. 11. v. 8.

JUDÆI REJECTI.

1502. *Abjathar à Salomone rejectus est à sacerdotio.*
1. Reg. 2. v. 27. quod regem sprevisset, 1. Reg. 1. v. 7.

X x 2

Ayar

Agar cum filio exclusa, carnalem nativitatem jactans, Gen. 21. v. 10.

Eli retrorsum cecidit, 1. Sam. 4. v. 18. Hæc omnia lapsum Judæorum figurare possunt, qui cum verum Salomonem spernerent, sacerdotio exuti sunt, & carnali prærogativæ confidentes, filiationem amiserunt, Joh. 1. v. 13. Non qui ex sanguinibus, sed qui ex Deo nati sunt, Rom. 9. v. 6. Gal. 3. v. 9.

JUDÆI REJECTI.

1503. *Vasthi conjux Ahas veri ad regium epulum invitata, venire recusavit coronâ aureâ ornata, spreitis regis verbis, per ministros indicatis. Quocirca illa repudiata, inque locum ejus Esther substituta, Esther. 1. v. 10. seq. Populus Judaicus erat velut regina Dei, ejusque conjux spiritualis, Os. 2. v. 19. quæ toties invitata ab ipso Deo ejusq; ministris, venire recusavit, ad epulum verbi regium dapibus cœlestibus instructissimum, (vide in indice, MENSA DEI) audire renuit, Esa. 6. v. 9. Joh. 12. v. 40. Rejecta itaque est Rom. 11. v. 25. Actor. 13. v. 46. inque ejus locum gentes adfcitæ.*

JUDÆI ABJECTI.

1504. *Regnum Saulis, ob hypocrisim illius cessavit & Davidis refloruit. Tale quoq; Judæorum fuit regnum, quod ex fraude, malitia, hypocrisim totum erat conflatum, Matth. 23, 13. Abjectum itaq; est sceptrum. Judæis ablatum, & populus non noscens Dominum, Es. 65, 1. regnum Dei accepit, faciens meliorem fructum.*

JUDÆI MALEDICTI

à Christo.

1505. *Matth. 21. v. 19. Dominus manè veniens in civitatem, esuriit, venitque ad arborem ficu, secus viam positam, in qua nihil invenit, nisi folia. Talis ficulnea Judæi fuerunt.*

fuerunt, ad quos Christus venit, Jer. 35, 4. eorumq; ficit salutem. Sed nihil nisi hypocrisios folia in Judæis invenit, folia arida, marcida, Esa. 1, 30. non solidos fructus penitentia, quos exigebat Johannes, Matth. 3, v. 8. id eoque arborem hanc arefecit.

REGNUM GRATIÆ A JUDÆIS

ablatum, gentibus datum.

1506. *Postquam Israelita in Dominum peccaverant, Eli sacerdos in filiorum improbitatem consenserat, permittit Jehovah arcam à Philisteis capi, & Israelitis auferri, inq; castra Philisteorum transferri, 1. Sam. 4. ita Judæis*

1. Arca testamenti ablati, est prædicatio verbi, in quo Christus ut vera arca testamenti proponitur. Verfabatur apud illos Christus, docebat, noluerunt eum recipere, Joh. 1, v. 12.

2. *Eli quoq; h. e. Pontifices & sacerdotes istam populi Judaici pertinaciam ipsi approbârunt, imò autores fuerunt istius incredulitatis, Matth. 21, v. 15.*

3. *Ergo à Philisteis h. e. gentibus incircumcisis, conf. 1. Sam. 17, v. 36. arca capitur, Act. 13, v. 46. Vobis oportebat primum regnum Dei annunciari. Arca illa Christus in templum gentilitatis illata, Satanam ut Dagonem prostravit: qui hinc inde oracula sibi extruxerat, impietatis suæ officinas illustres.*

JUDÆI REJECTI EXULES.

1507. *Gen. 4. Perpetrato fraticidio, Cain male conscientia furis agitat, & à conspectu Dei remotus, exulem egit: Tales Cainitæ Judæi impœnitentes sunt, qui carnalibus prærogativis nixi, cum bonis omnibus excidissent, sanguine fraticidii, (Salvatoris nostri) manus truculentas maculârunt, & sanguine innocentissimorum Prophetarum terram sparserunt,*

X x 3

Act.

Actor. 7. v. 52. & jam conscientia stimulis agitati : & conspectu gratia Deiremoti , in perpetuo exilio oberrant.

JUDÆORUM POLITIA

deleta.

1508. Levit. 21. v. 9. *Filia sacerdotis fornicans igni exurenda erat.* Gens Judæa erat filia & filii summi sacerdotis & æterni Christi, Ps. 110. v. 4. *cujus ille pater esse voluit, juxta promissum Abrahamo factum : Ero Deus tuus & seminis tui post te :* Verum cum fornicaretur hæc filia cum Diis alienis, & sponsum genuinum floccipenderet, igni exusta fuit divina vindictæ, quem Dominus minitatus erat, Ezech. 24. v. 11. seq. Jer. 4. v. 4. Deut. 32. v. 22. Jer. 15. v. 14.

JUDÆORUM POLITIA NUNQUAM

restaurabitur.

1509. *Laguncula contraria instaurari non potest,* Jer. 19, 10. 11. Talis laguncula Judæorū politia est, quos cum sceptro ferreo Dominus contriverit, velut vas figuli, Psal. 2, 9. Apoc. 2, 27. nunquam politiam suam redintegrare poterunt, quamvis non semel attentaverint.

JUDÆI SUBVERSI A VESPASIANO,

ejusque filio Tito.

1510. 2. Reg. 2. v. 14. *Duo ursi ex sylva prodierunt, ut pueros, qui Elisam contumeliâ affecerunt, devorarent.*

1. *Elisa* Christum notat, qui notat agnum Dei.
2. *Pueri* contumeliâ afficientes Prophetam magnum illum sunt Judæi, Matth. 27. v. 29. Luc. 16. v. 14. *Sed non patitur se irrideri Dominus,* Gal. 6. v. 7.
3. *Ex sylva enim duos ursos* prodire jussit, Vespasianum, ejusque filium Titum, qui bipartito agninc Judæos

dæos aggressi sunt, eorumque politiam funditus sustulerunt. Adi Josephum de bello Judaico.

JUDAS ET JUDÆI.

1511. *Absolon & Achitophel contra Davidem conspirarunt*, 2. Sam. 15. v. 31. *Absolon* Judas est, qui pacis & pietatis autor videri voluit, Matth. 26. vers. 9 10. sed Dominus hypocrisin ipsius animadvertit, Joh. 2. v. 25. cap. 12. v. 6. hinc tragico exitu vitam clausit, ut *Absolon*. *Achitophel* concilium Phariseorum notat. Nomen hoc fratrem deficientem designat; Tales fuere Judæi, Pharisei, de quibus conqueri cum Jobo potuit Salvator, Job. 6. v. 15. cap. 19. v. 13. Ipsum denique consilium Phariseorum, non secus ac Achitophelis, longè fuit, sibi ipsis perniciosissimum, Matth. 27. v. 25.

ARTICULUS V.

DE ECCLESIA GENTILIUM.

GENTILIUM TYPUS NAAMAN,

2. Reg. 5. cap.

1512. 1. *Respectu servitii*. Naaman enim servivit Regi Assyriæ, qui Diabolum significare potest, cui Gentes servierunt, 1. Cor. 12. v. 2. Galat. 4. v. 8.

2. *Scandalizationis*. Offensus enim fuit mediò illò ablotionis per aquam Jordanis, 2. Reg. 5. v. 12. ita gentes quandoque scandalizatæ. Græci enim sapientiam quærun, 1. Cor. 1. v. 22.

3. *Incredulitatis*. Noluit enim Naaman credere Elifæo, sed tamen ministris suis credidit, vers. 13. ita per Apostolos maximè fuit, Roman. 13. v. 4. Evangelium propagatum inter gentes.

Xx 4

4. Mun-

4. *Mandationis*. Naaman aquis Jordanis mundatus à lepra, v.14. Ita per aquas baptismi gentes lotæ, mundatæque sunt, Ephes. 5. v.26. per fidem, Act. 15. vers. 9.

GENTES VOCATÆ.

1513. *Zacheus staturâ parvus in arborem ascendit, Christum vidit*, Luc. 19. v.4. ita gentilis populus meritis parvus, in arborem vitæ conscendit. Spiritus seductu, Christumque verâ fide apprehendit, eundemque ad se invitavit obediendo voci prædicatorum, Act. 13. v.46. Act. 6. v.7.

GENTIUM VOCATIO.

1514. *Fugiens Jacob ab Esau, in Mesopotamiam contendit*, Gen. 28. v.2. Christus in infantia à Judæis in Ægyptum fugit, cum Herodes ejus interfectionem quæreret: Tales Esau vitæ Judæi fuerunt, qui Christum persecuti sunt mille modis. Quapropter in Mesopotamiam gentium abiit, iisque verbum prædicari iussit, Act. 13. v.46.

GENTIUM VOCATIO.

1515. Genes. 9. v.27. *Habitabat Japhet in tentoriis Sem*. Japhet gentiles significare potest, qui in tentoriis habitant. Hæc autem Ecclesiam designat, cujus gentes jam concives facti sunt, Eph. 2. v.19. Hæc sunt tentoria illa, de quibus Dominus ipse, Es. 54. v.2. *Delata locum tentorii tui & pelles tuorum expande, ne parcas: Longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida, &c.*

GENTIUM VOCATIO

dilata,

1516. *Sara atate jam provecta peperit*, Rom. 4. 19. Sara gentilitatem significare potest, cujus vocatio in extrema ferè mundi tempora rejecta, spirituales filios peperit,

EV-

EVANGELIUM PRIUS JUDÆIS, DEIN

gentibus propositum.

1517. *Ros erat primo in vellere, deinde in areâ, Jud. 6.* Ros Evangelium significare potest, quod prius in vellere fuit, hoc est, ovibus Judæis. Deinde in areâ, hoc est, gentibus fructum verbi facientibus, in areâ extra sanctuarium Judaismi constitutis.

GENTES SIMILES PARALYTICO,

Matth. 9. v. 2.

1518. *Ob subjecti occupationem.* Solet enim Paralysis in toto corpore esse, adeò, ut nullum membrum se movere possit: Talis Ethnicorum in spiritualibus membrum morbus fuit, ubi nullinisi ad injustitiam motus, Rom. 6. v. 19.

2. *Effecti rationem.* Paralysis enim omnem sensum tollit, Fucksius Tom. 2. oper. lib. I. hist. c. 28. Ita gentiles omni sensu rectæ rationis destituti sunt, quando contra naturam peccarunt, Roman. 1. v. 18. Deum non palparunt, Act. 16. v. 27.

GENTES SUNT OLEASTER,

Rom. 11. v. 18. seq.

1519. 1. *Ratione loci,* in quo crescit, amat loca montosa oleaster: Montes vero animi elationem significant, & contumeliam adversus Deum in gentibus fuisse.

2. *Materia, ex qua crescit.* Dicitur enim ex nucleo olivæ crescere. Nucleus olivæ Judæi sunt, in quorum locum, ut defractorum per incredulitatem, gentes substituta.

3. *Succi derivationis.* Succus enim oleastri è radice olivæ derivatur: ita gratia vocationis nostræ è radice olivæ Judæorum, in gentes derivata est.

Xx 5

4. In-

4. *Infitiōnis.* Inferitur oleaster trunco olivæ: sic nos trunco Judæorum infiti sumus, qui fructus non ferebat. Infitus oleaster vim radicis suæ mutat, & ejus, cui infitus est, vires recipit: ita gentes in locum Judæorum substitutæ, Actoꝝ. 13. v. 46.

5. *Negata cultura.* Est enim arbor inculta antequam inferatur olivæ: ita gentes incultæ fuerunt, nullam enim vineam inter illas Dominus excoluerat, sicut inter Judæos, Matth. 21. v. 33.

6. *Sterilitatis.* Oleaster enim arbor sterilis est præ olivâ: ita gentes arbores steriles fructibus justitiæ ad gloriam Dei, Philip. 1. v. 11. carentes; fructibus peccati foetæ fuerunt, Rom. 6. v. 21. cap. 8. v. 18. seq.

7. *Amaritudinis.* Oleaster amarus est; ita gentilismus amarus fructus edidit Deo, quem non agnovit.

8. *Foliorum latitudinis.* Oleaster enim folia lata habere dicitur: ita gentes impietatem suam foliis texerunt cæcæ rationis, quæ nihil nisi folium, non solidum fructum præ se ferunt.

ECCLESIA EX JUDÆIS ET gentibus.

1520. Eph. 2. v. 21. *Christus dicitur lapis angularis.* Dicitur autem lapis angularis, quia nempe

1. Angulus duorum parietum est: Alter ex Judæis, alter ex gentibus ædificatus super lapide Christo: Hic lapis nobis prædestinatus electione, Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in Christo, ante jacta mundi fundamenta.*

2. Excisus ex intemerata conceptione, Luc. 1. v. 35. *Spiritus sanctus obumbrabit tibi.*

3. Politus in passione & cruce, cui tota Christi vita subjecta fuit.

4. Excisus in cruce lateris sanctissimi apertione.

5. In

5. In terram positus, inhumatione, quando in sepulchrum abditus fuit.

6. Repertus tandem in resurrectione.

8. Exaltatus in sublimi ad dextram patris sessione, Psal. 110. v. 1.

GENTILES LOCO JUDÆORUM adsciti.

1521. *Isaac, defunctâ matre, Rebeccam in tabernaculum deduxit, & super morte matris suæ ita consolatus est, Gen. 24, 67. Mater illa Christi defuncta, est Synagoga Judaica, quæ cum Christum vitam & vitam veram sprexit, tanquam putres furculi, & cadaver sepultum inhumatumque, ex tabernaculo ecclesiæ scilicet, à Christo recepta est, & ita consolatus est Redemptor noster, & gaudet super Rebecca gentilitatis suæ.*

GENTILES CHRISTUM RE- ceperunt.

1522. *Simon Cyrenæus crucem Christi portavit, quam Judæi Christo fabricaverant, Matth. 27. v. 32. Iste Simon gentium imago est, qui populus ignorans audiit Dominum, Ps. 18, 45. Simon enim auditorem notat, crucem Christi portavit libentius quàm Judæi, quibus crux offendiculum, 1. Cor. 1, 23. credendo, & quavis legem portare non possent, Evangelium tamen, ut leve jugum, portare recusarunt.*

GENTES DICUNTUR ALIE- næ, Eph. 4. v. 18. c. 2. v. 12.

1523. 1. *Ob Deum alienum Diabolum, quem coluerunt.*

2. *Ob separationem à politia & ceremoniis Mosaicis.*
Vide

Vide Levit. 22. v. 25. Ephel. 2. v. 12. qui verò separatus est è politia, non gaudetejus *κοινωνεξις*.

3. *Ob peccatorum* enormium multitudinem, quibus à Deo alienati sunt, quem agnoscentes non coluerunt, Rom. 1.

4. *Ob alienationem* à vita, quæ est ex Deo, Eph. 4. v. 18.

5. *Ob inimicitiam* spirituales, cum Deo & Ecclesiæ membris, Coloss. 1. v. 21.

6. *Ob vocationem*: Nam: *Habeo alias oves, quas me adducere oportet*, Joh. 10. v. 16. Aliæ illæ oves erant alienæ gentes,

JUDÆI ET GENTES UNITI.

1524. Ezech. 37. v. 17. seq. *Propheta duas virgas accipere iussus in manu sua, quæ in unam virgam coaluerunt, & unionem tribus Juda cum sociis & tribu Josephi sub uno rege Davide, seruo Domini.*

1. *Adumbrârunt* duæ istæ virgæ ecclesiam ex gentibus & Judæis collectam, quæ divisæ ante, sed in Christo unitæ sunt, qui eas in manu sua habet, in quam omnia ipsi dedit pater, Matth. 28. v. 18. Joh. 3. v. 35.

2. *Duæ hæ Ecclesiæ* in unam coaluerunt, Christo nimirum, capite unico & viti implantatæ, Eph. 2. v. 14. Rom. 11. v. 15. unum ovile factæ sunt; sicut unus est pastor, Joh. 10. v. 16. Gentes etiam purificatæ sunt, Act. 10. v. 15. cap. 11. v. 9. fide, c. 17. v. 9. per Spiritum Sanctum, quem effudit in eas, Act. 10. v. 44. ut non amplius hic sit Judæus vel Græcus aut gentilis.

GENTILES CONVERSI DEO accepti.

1525. *Filius mulieris odiosa non poterat à jure primogenituræ excludi, propter filium mulieris dilectæ*, Deut. 21. v. 15.

v.15. Ita duæ spirituales mulieres Dei, Synagoga & Gentilitas fuerunt; Hujus autem filii, licet odiosæ, credentes in verum primogenitum, Rom. 8. 29. non poterant à jure primogenituræ spiritualis rejici. Nam in vero semine benedicti, benedictionem consequuti, Rom. 9. 7. 8. non ex sanguinibus, sed ex Deo nati, Joh. 1. 13.

UNA ECCLESIA EX GENTIBUS

& Judæis.

1526. Exod. 18. v. 7. & 10. *Jethro & Moses verbapacificæ inter se locuti sunt.* Congressus ille ecclesiæ Gentilis & Judaicæ congregationem significat. Jethro erat sacerdos in Midian, qui non videbatur particeps esse & gnarus veri Dei cultus, cum peritus illius factus fuerit, nam sacrificia eucharistica obtulit: Ita gentiles non videbantur pertinere ad societatem regni Christi, qui tandem pro concivibus ecclesiæ reputati sunt. A Gt. 11. Eph. 2. v. 16.

GENTILES FRUCTUM

ferentes.

1527. Luc. 13. v. 6. *Arborem fici plantatam habuit Dominus in vinea sua, quæ per aliquod temporis spacium fructum non tulit, quem tamen expectavit patienter Dominus:* Talis arbor gentium grex fuit, nullum faciens fructum. Fossus autem & stercoreatus doctrina Evangelii, fructum dedit locupletissimum, Matth. 21. v. 43.

GENTES CONVERSÆ.

1528. *Veni de Libano sponsa mea, de cubilibus leonum, de montibus pardorum,* Cant. 4. v. 8.

1. Gentilium ecclesia notatur, qui aliàs leones, pardivocantur, *Esa. 11. v. 6. 7.*

2. Hæc ecclesia Gentilium venit de Libano, h. e.

h.e. meritis propriis confisa virtutum, vel de cubilibus
leoninis, h.e. pessimo statu peccati.

ARTICULUS VI.

DE OBJECTIS ET ADJUNCTIS

Ecclesiæ variis.

ECCLESIAE MYSTERIA, V. ET
N. Testamenti concedita.

1529. Cant.7.v.13. *Dicitur fructus pretiosos, veteres
& recentes reponere secundū ostia sua sponsa, sponso suo.*

1. Hi fructus sunt ministeria Vet. & N. Testamenti,
Matth.13.v.52. quæ ante ostium cordis nostri reponi-
mus, quando ea consideramus, & dulci illorum con-
templatione animum nostrum pascimus.

2. Hos fructus reponit sponso suo, verâ scilicet fide
eosdem apprehendendo.

VERBUM DEI BONA ECCLESIAE.

1530. *Mel, simlam & oleum dedit Hierusalem Do-
minus*, Ezech.16.v.13. *Mel* verbum notat, ob dulcedi-
nem eximiam, Ps.19.v.11. Ps.119.v.103. quam in se con-
tinet, licet ventrem amaricari faciat, Apoc.10.v.9. Ob
mundi odia scilicet, Joh.6.v.2. Mannæ gustus erat si-
cut similæ cum melle, Exod.16.v.31. Manna illud ver-
bum Domini est. Hoc mel verbi fluit de spirituali
petra Christo, 1. Cor.10.v.4. quo nos in deserto mun-
di, ut olim Israelitas, Ps.81.v.17. saturat, donec tandem
in veram terram promissionis veniamus, fluentem
melle consolationis, Apoc.22. Esa.66.v.11. De simila
& oleo suis locis. Cavendum autem nobis est, ne hoc
mel verbi proculcemos ingratitude, ut saturæ ani-
mæ

mæ solent, Prov.27. v.7. cum tamen illis saturis Væ imprecatus sit Dominus, Luc.6.v.25. Confer.Apoc.3. vers.17.

ECCLESIAE ALÆ.

1531. Apoc.12. v.6. *Data alæ mulieri significabant*

1. *Spei certitudinem*, Ef.40.v.31.

2. *Divinam protectionem*, quæ aliâs alis notatur, Pſalm.91. v.1. 2. 3.

3. *Passivam Tyrannorum ludificationem*: Luditur auceps, cum avolat avis: ita Tyranni, cum Ecclesia protegitur.

4. *Gratissimam liberationem*, Pſal.124. v.7.

ECCLESIA IMMOBILIS EST.

1532. Zach.12. v.3. *Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis; omnes qui levabunt eum, concussione la-cerabuntur*: Ecclesiæ securitas promittitur: Erit enim lapidis instar onerosissimi, propter lapidem in ea angularem Christum, Eph.2. v.20. in quem, qui ceciderit, comminuetur, Luc.20. v.18. At in Ecclesiam cadens, in ipsum Christum cadit, Zach.2. v.8. Actor.9. v.4. Esa.63. v.9. Matth.25. v.40. Nihil ergo portæ inferorum adversus eam, Matth.16. v.18. super petram fundatam, Matth.7. v.25.

ECCLESIA INVISIBILIS.

1533. *Fidei & electionis respectu*: luna in conjunctione non videtur. Fidem enim & electionem in homine nemo oculis usurpaverit: & hoc sensu ecclesiam dicimus invisibilem.

2. *Persecutionis per hæreticos*, ut luna cum nubibus tegitur. Tunc enim multi latent, timentes flammæ & necem; talis Nicodemus, Joh.3. v.1.

3. *Mar-*

3. *Martyrii*, cum ferro & flammis sævitur. Ut cum luna ecclipsin patitur.

ECCLESIA TRIBULATA VERA
membra demonstrat.

1534. Apoc. 6. v. 13. *Ficus emittit grossos, cum vento movetur.* Ficus Ecclesiam notare potest, quæ sua membra, ut, ficus grossos habet, at cum *vento persecutionis* quaritur, grossos abjicit, hoc est, hypocritas ostendit. Hi sunt, qui tempore tribulationis deficiunt, Luc. 8. vers. 14. qui tanquam paleæ disperguntur, cum cribrantur, Matth. 3. v. 12. Cribrator ille, Satanas est, Luc. 22. vers. 31.

ECCLESIA PRESSA

crescit.

1535. *Haman è medio sublaturus omne genus Judæorum, effecit, ut quamplurimi se ad Ecclesiam Judaicam gregem associaverint*, Esther. 8. v. 17. ita tyranni malis consiliis Ecclesiam non possunt tollere, sed attollere, premere, non opprimere.

ECCLESIAE MULTIPLICATIO.

1536. *Jacobi posteritas in Ægypto velut germen multiplicata est*, Exod. 1. v. 7. Hæc est ecclesiæ Novi Testamenti in Ægypto mundi spiritualis multiplicatio, quæ non ex sanguinibus, sed ex Deo procreatur; Joh. 1. vers. 13. Talis per fidei unitatem Abrahamo promissa, Gen. 16. v. 16. cap. 17. v. 2. cap. 22. v. 17. multiplicatio. Conf. Gal. 3. v. 9.

ECCLESIA ARMIS SPIRITUALIBUS
freta Diabolo terribilis.

1537. *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, Cant. 6. vers. 3. & 9. Hæc est ecclesia, quæ cum adhuc in terra mili-

militiam exerceat, 1. Tim. 1. v. 18. armis spiritualibus, 2. Cor. 10. v. 4. Eph. 4. v. 14. terribilis est Diabolo, ut castrorum acies ordinata, quia omnia arma in Satanæ perniciem aptat; quò cum perpetua est inimicitia, Genes. 3. v. 16. Huc pertinent arma illa offensiva, defensiva, Eph. 6. terribilia Dei opera in ecclesia, Deut. 4. v. 34. quæ Diaboli contremiscentes credunt, Jac. 2. v. 14. Deut. 10. v. 11. Judicii extremi pericula, quæ Satanæ ingruunt, piis ipsis futuris Judicibus, 1. Cor. 6. v. 2. duce Christo, Matth. 25. Hebr. 10. v. 16. Tob. 3. vers. 5.

ECCLESIA HABET TEMPORA lunæ.

1538. Ps. 104. v. 9. *Fecit lunam in stata tempora.*

1. Ecclesia vero est luna, quæ stasis temporibus subiecta est: Modo enim planè est instar *lunæ silentis*, qualis tempore Eliæ erat, quo tamen spiritualis erat ad septem hominum millia conjunctio. Modo instar *lunæ deficientis* & ad occasum vergere videtur, modo instar *crefcentis*, & versus orientem Christum, Luc. 1. v. 78. cornua velut projicit.

2. *Hæc luna* est in tempora: quia in ecclesia solùm certa temporum ratio est. Hæc est luna illa, quæ se coram Josepho nostro cœlesti incurvavit, Genes. 37. vers. 9. & stat donec hostes suos armis verbi Josua expugnet, in valle hujus mundi, Jos. 10. vers. 12. quo facto, cum sole justitiæ Christo planè conjungitur, in altera vita.

ECCLESIA PULCHRA.

1539. *Amica sponsi pulchra dicitur*, Cant. 1. v. 8. Ecclesia notatur, cujus genæ pulchræ dicuntur.


Yy

i. Ob

1. *Ob lacrymas, quæ coram Domino preciosæ sunt, eas in saccum suum colligente, Psal. 56. v. 9.*

2. *Eam quoque suâ ipsius pulchritudine pulchram fecit, quando abstulit deformitatem naturalem, Ezech. 16. v. 9. seq. & sine macula fecit, Eph. 5. v. 27. Cant. 4. v. 7. gloriosam, Col. 3. v. 4. Rom. 5. v. 2.*

3. *Hæc est illa pulchritudo, quâ, ut Esther olim principibus Ahasveri placuit, Esth. 1. v. 11. cap. 2. v. 15. sic completivè angelis placebimus, imò ipsi regi, qui concupiscet decorem nostrum, Psal. 45. v. 12. Ejus enim delectatio est in filiis hominum, Prov. 8. v. 31. Hæc est decor domus suæ h. e. ecclesiæ, quem diligere debemus, Ps. 26. v. 8. nec facere abominabilem, Ezech. 16. v. 22. repudiando.*



CAPUT XXI.

DE

MINISTERIO.

ARTICULUS I.

DE MINISTERIO.

MINISTRI CUR ANGELIS

comparentur?

1540. 1. *Ob nominis evidentiam. Angelus nuncium notat. Ministri sunt Dei nuncii, Luc. 9. v. 60. Act. 4. v. 2. 1. Cor. 9. v. 14. Ezech. 3. v. 17. c. 33. vers. 7. in luce ambulandum esse nunciant, Johan. 1. vers. 5. 6. 2. Cor. 5. vers. 20.*

2. *Res*